

nus, quam quod ille ipse exercitus qui a Cesare
in Italia, ad salutem omnium bonorum ad custodi-
endam urbem, imperij arcem, collocatus erat, illi
ipsi urbi nefariam uim, contra optimi principis
Caroli uoluntatem, contra discipline militaris le-
ges, contra auspicia, contra maiorum exempla,
intulit. Est enim liberandus culpa Caesar, qui eti-
am si iustis de causis Romano Pontifici irascitur,
tamen hoc exitu uictoriae minime delectatur. Neque
enim obscurum est, eum natura ad clementiam mo-
derationemque duci et a crudelitate abhorrecere. Et
cum maiores suos nomen ac titulum imperij in
in hanc nationem a seruata urbe Roma intulisse
uideat, dubitari non debet, quin in illorum intuens
exempla, intelligat omnes imperij opes ac uires ad
huius urbis salutem defensionemque maxime conuer-
tendas esse, Et ab illa uim atque uastitatem depellen-
dam. Quam multos numerare potest, cum imagi-
nes auitas a pexerit, qui turbulentissimis tem-
pestatibus urbem Romam maximis terroribus libe-
rauerint, qui quanquam periculosissimis bellis do-
mi impliciti, tamen uelut ad patriam defendendam
huc summa uirtute accurrerint. Quia in huius
unius urbis periculo periclitari omnium gentium
salutem existimabant. Huc adde, quod nullius re-
gie familie, si quis omnes numeret, plura clemen-
ter